

Initia Capituli Generalis in fontibus historicis Ordinis

Quoad exordium Ordinis, fontes primarios duae redactiones biographiae sancti Norberti constituunt ¹⁾, quae relate ad initia Capituli generalis sequentes notitias, pro nobis valde pretiosas, tradunt :

Vita A

« Hac accepta benedictione ²⁾
recessit ³⁾ duobus adiunctis sibi
fratribus

Vita B

« Hac accepta benedictione,
recessit duobus adiunctis sibi so-
ciis, e quibus *praeceperat Vir Dei*

¹⁾ *Vita A*, iuxta R. WILMANS, inter aa. 1157-1161, ab auctore coaevo conscripta est. Ed. in *Monumenta Germaniae Historica, Scriptores*, XII, Hannoverae, 1856, pp. 663-703. De valore huius biographiae notat C. DEREINE: « La *Vita A* constitue pour cette période... un document de première valeur..., donne de l'activité et du caractère du fondateur de Prémontré une image à la fois précise et objective » (*Les origines de Prémontré*, in *Revue d'Histoire ecclésiastique*, XLII, 1947, p. 357 s). — *Vita B* eodem fere tempore orta est. Facta tamen comparatione textuum, probatur esse posterior. Ed. L. SURIUS, in *De probatis SS. Historiis*, III, Coloniae, 1572, pp. 517-547; J. Chr. VAN DER STERRE, *Vita s. Norberti*, Antverpiae, 1622. Hac redactione usi sunt etiam Bollandistae in *Acta Sanctorum*, Iun., I, ed. D. PAPEBROCH, Antverpiae, 1695, pp. 819-858. Hac utimur nos editione. — Comparationem et examen duarum redactionum perfecerunt R. WILMANS (*op. cit.*) et G. VAN DEN ELSEN, *Kritische Untersuchungen über die Lebensbeschreibungen des Hl. Norberts*, in *Magdeburger Geschichtsblätter*, XXI, 1886, pp. 329-354. Cfr. O. MANNL, *Zur literatur über den heiligen Norbert*, in *Literarischer Handweiser*, XIX, 1890, Sp. 297-304; reimpr.: *An. Praem.*, XXV, 1959, 5-14; O. KLESSER, *De oudste levensbeschrijving van Sint Norbert*, in *An. Praem.*, XXXIV, 1958, pp. 193-218. Hucusque tamen nec tempus redactionis nec auctores praecise determinari potuerunt. Iuxta criticos, *Vita A* videtur originem ducere ab ambiente monasteriorum linguae germanicae. *Vita B* magis gallicam tradit originem et minorem fidem mere-
tur (cfr. C. DEREINE, *l. cit.*).

²⁾ Agitur de paterna benedictione quam Hugo a Magdeburgo discedens a Norberto accepit. Benedictionem abbatialem accepit a Bartholomaeo, episcopo Laudunensi, prout enarrat HERMANNUS LAUDUNENSIS, *De miraculis B. M. Laudunensis libri III*, ed. d'ACHERY, Parisiis, 1651, p. 549.

³⁾ « electus autem ille tunc temporis cum patre Norberto (Magdeburgii) morabatur » uti notat *Vita A*, ed. a. 1129 (*l. cit.*, p. 697).

quorum unus in Antwerpiensi, alter in Floreffiensi ecclesia pater ⁶⁾ institutus est.

Ipsae autem ad Praemonstratensem ecclesiam accedens eiusdem ecclesiae pater memorabilis effectus est. Moxque in

ut alterum ⁴⁾ in Antwerpiensi Ecclesia Patrem, alterum ⁵⁾ similiter in Floreffiensi poneret. Et sic factum est.

Positus et consecratus est ille ⁷⁾ sub nomine Patris ⁸⁾ in Praemonstratensi Ecclesia; et illi duo in

⁴⁾ Waltmannum († 15 apr. 1138), iuxta AA SS, Iun. I, p. 852, annotata. Etiam LEPAIGE, *Bibliotheca Praemonstratensis Ordinis*, Parisiis, 1633, p. 455.

⁵⁾ Richardum, de quo LEPAIGE, *l. c.*, p. 439.

⁶⁾ Usus termini « pater » loco « abbatis » pro utroque biographo consuetus est. Certe tamen intelligendus est « abbas », prout in documentis coaevis superiores monasteriorum sive monachorum sive canonicorum regularium appellabantur. Ipsa *Vita B* termino utitur « Abbas Praemonstratensis ». HERMANNUS LAUDUNENSIS (*op. cit.*, AA SS, Iun. I, p. 865, n. 16-17) eodem modo: « In Praemonstratensi ecclesia Dominus Norbertus Abbas esse noluit, sed illum... nomine Hugonem, eiusdem loci Abbatem constituit ». Hanc terminologiam sequuntur, inter alia documenta, *Charta Lietardi, Ep. Cameracensis*, a. 1131 (ed. C. L. HUGO, *Sacra et Canonici Ordinis Praemonstratensis Annales*, Nanceii, 1734-1736, I, Prob., col. CCCI), bullae Innocentii II, *Sacra vestri Ordinis*, 12 apr. 1131 (ed. LEPAIGE, *l. c.*, p. 419), *Super religione vestra*, 2 maii 1134 (ed. J. RAMACKERS, in *An. Praem.*, XI, 1935, p. 136); *Proprium est ecclesiasticae disciplinae*, 3 maii 1134 (cfr. J. RAMACKERS, *ib.*, p. 137). Etiam *Omnipotenti Deo*, P. Leonis et Gregorii de s. Angelo Cardinalium, 28 iun. 1124, loquitur de « claustris », « abbatis permissione » etc. (cfr. HUGO, *Annales*, I, Prob., col. IX).

⁷⁾ Quomodo Hugo ecclesiae Praemonstratensis abbas praefectus fuerat, praeter *Vita A* (p. 696), et *Vita B* (p. 852, n. 99-100) refert etiam HERMANNUS LAUDUNENSIS (*loc. cit.*, ed. D'ACHERY, p. 546 s.). Iuxta BURCHARDI et CONRADI, *Chronicon Urspergense*, ed. O. ABEL - L. WEILAND, in MGH, SS, XXIII, Hannoverae, 1874, pp. 333-383: « Hugo abbas Praemonstratensis primus post Norbertum... » (*l. cit.*, p. 343). Sic electio Hugonis, maxima cum probabilitate, a. 1128 locum haberi potuit. Licet *Vita A* electionem post eventum diei 12 apr. 1129 (attentatum contra vitam Norberti miraculose frustratum, referat, ex hoc non sequitur eam posteriori tempore locum habuisse. Caput enim respectivum *Vitae A*, dicenda introducit his verbis « Inter alia... ». Verum est quidem *Vitam A* generatim sequi ordinem chronologicum: hoc tamen non impedit Biographum, quominus facta prius vel posterius eventa ita intexat prout ordini rerum ab ipso composito magis conveniebat. Quoad hoc, testimonium *Vitae B* videtur esse praeferendum; quod enim pro fulcimento sequentem suppeditat observationem chronologicam: « Orbatus grex pusillus Praem. ecclesiae tanto patre (Norberto)... per biennium patienter expectabat (p. 852, n. 99) ». Scimus aliunde Norbertum electum et introductum fuisse archiepiscopum Magdeburgensem: 18 iul. 1126, die autem 25 iul. eiusdem anni Episcopum consecratum (cfr. *Gesta Archiepiscoporum Magdeburgensium*, in MGH, SS, XIV, p. 412, et *Catalogus Archiepiscoporum Magdeburgensium*, *ib.*, p. 485).

⁸⁾ Vide n. 6.

ecclesiis Laudunensi et Vivariensi nec non

in ea, quae Bona Spes dicitur, de fratribus suis patres instituit ¹¹⁾

cum quibus loco determinato

annuatim convenire statuit pro resarcienda dissolutione ordinis in recidendis superfluis et necessariis rebus salubriter instaurandis ¹³⁾.

duabus aliis supradictis. Sed et duo iam alii consecrati erant in duabus aliis Ecclesiis, Laudunensi beati Martini et Vivariensi ⁹⁾. Isti quinque et sextus ¹⁰⁾, quem ad locum qui dicitur Bona Spes, statim post introitum suum, Abbas Praemonstratensis exposuerat instantem dissolutionem Ordinis in plerisque locis videntes, et maiorem futuram metuentes, ad diem statutum in loco determinato convenerunt et quidquid ad praesens in domibus suis superfluum esse videbatur recedentes deinceps, ad similitudinem ¹²⁾ et exemplum Cisterciensium annuatim se reversuros simul,

ad Ordinis sui sinistra corrigenda, firmaverunt. Quod cum in locis

⁹⁾ *Vita B*, conformius documentis foundationum, affirmat in his duobus locis iam ante a. 1128 adfuisse abbates (cfr. etiam *Vita B*, loc. cit., p. 843, n. 77). Nam ut coeteri quoque fontes referunt, Norbertus iam ante iter suum Romam versus (1125-1126), suggestioni Bartholomaei episcopi cedens, Lauduni Gualbertum abbatem constituit (cfr. HERMANNUS LAUDUNENSIS, *op. cit.*, in MGH, SS, XII, p. 657), Vivarii vero a Roma reversus (1126). Iuxta *Chartam Bartholomaei* fundatio Laudunensis, iam 1124 confirmata est (cfr. C. L. HUGO, *Annales*, I, Prob., col. XLII). Huic consentit SIEGEBERTI, *Chronici Praem. Continuatio*, iuxta quam Norbertus iam a. 1124 abbatem consecrari fecisset (MGH, SS, VI, p. 149). Historici generatim eventum a. 1125 adscribunt (cfr. G. MADELAINE, *Histoire de saint Norbert*, I, Tongerlo, 1928, p. 279, not. 1; LE MIR (MIRAEUS), *Ordinis Praemonstratensis Chronicon*, Coloniae Agrippinae, 1613, p. 39). Etiam *Charta Lysiardi*, Suessionensis Episcopi, pro ecclesia Vivariensi, a. 1121 concessa, iam abbatem ibidem supponit, tamquam caput communitatis (cfr. C. L. HUGO, *Annales*, II, Prob., col. DCXV). Affirmationem *Vitae B* pro Vivario, confirmat etiam HERMANNUS LAUDUNENSIS, (l. cit.). Agitur de Henrico abbate, iuxta LEPAIGE, *Bibliotheca*, p. 454.

¹⁰⁾ Odo, de quo affirmat LEPAIGE, eum fuisse a S. Norberto abbatem praefectum Bonae Spei, a. 1127, sed puto praefendam esse affirmationem utriusque *Vitae* consonam, quae Hugoni institutionem Odonis attribuit.

¹¹⁾ Cfr. n. 9.

¹²⁾ « similitudinem » deest in ed. SURII.

¹³⁾ *Vita A*, l. cit., p. 697.

aliis divulgatum fuisset ; si in primo anno sex, in secundo novem fuerunt, in tertio duodecim, in quarto decem et octo. Et exinde multiplicati sunt ubique terrarum...¹⁴⁾.

Prout ex comparatione textuum apparet, duae relationes *Vitae* eosdem referunt eventus. *Vita B* tamen, aliquantulum posterior, stylo eruditore nonnullas observationes adiungit, sibi proprias, nobis valde utiles, relatu dignas.

Praeter *Vitam*, ratione prioritatis originis sui operis et fidelitatis suae informationis, testimonium omnino pensandum pro nostra materia refert HERMANNUS LAUDUNENSIS¹⁵⁾ :

« Norbertus... diversa et deserta loca coepit expetere, directisque Fratribus nova monasteria aedificare. *Constituit vero, ut ex om-*

¹⁴⁾ *Vita B*, l. cit., p. 852, n. 101. — Hunc textum sequitur BALDUINUS, auctor *Chronici Ninovensensis*, medio saec. XIII conscripti : « Itaque hii ex mutuo conducto ad similitudinem Cisterciensium ad corrigendum sinistra annuatim convenientes, scilicet in primo anno sex, in secundo fuerunt novem, etc. » (cfr. ed. HOLDER-EGGER, in MGH, SS, XXV, p. 528). — Ex auctoribus recentioribus iuvat meminisse MIRAEUM, qui se referendo ad textum cit. *Vitae B*, facta iam aliquomodo interpretari conatus est, cum loquatur de « primo quasi capitulo indicto », et affirmet : « ad haec statuisset exemplo Cisterciensium, similem annuatim conventum, seu Congregationem habendam », et addat, « ad salutares leges constituendas » et appellat institutum « Comitia Antistitum » (*O. Praem. Chronicon*, p. 77).

¹⁵⁾ Opus HERMANNI (*De miraculis S. Mariae Laudunensis*, lib. III, ed. completa d'ACHERY, Parisiis, 1651, pp. 543-560; ed. WILMANS, in MGH, SS, XII, pp. 653-660, solummodo novem priora capita continet), iuxta WILMANS (*op. cit.*, p. 653) certe inter aa. 1149-1150 scriptum est, dum *Vita A* et *B*, iuxta eundem WILMANS (MGH, SS, XII, pp. 663-664) intra annos 1157-1161 conscriptae esse probantur. De fontibus suae informationis ipse Hermannus testatur : « Dominus siquidem Hugo, Praemonstratensis abbas, mihi nuper narravit » (ed. WILMANS, l. cit., p. 659). Iuxta eundem WILMANS (*op. cit.*, p. 653, not. 1) et MANITIUS, *Geschichte der lateinischen Literatur des Mittelalters*, III, München, 1931, pp. 531-535) idem Hermannus, monachus O. S. B., esset auctor etiam *Libri de restauratione monasterii S. Martini Tornacensis*; alii tamen ut D. STRACKE, *Deken Herman uit den Reynaert*, in *Tijdschrift voor taal- en letterkunde*, XX, 1934, p. 257; et C. DEREINE, *Les origines de Prémontré*, l. cit., p. 358, not. 3, duos diversos auctores autumant istorum operum. — De fide quam meretur Hermannus, notat LAUNIOUS (Launoy) : « Haec oculatus testis, cui proinde fides habenda est, cum praesertim synchronus scriptor nullus contradicat » (*Opera omnia*, III, I, p. 450, ed. Coloniae Allobrogum, 1731-1732). Inferius tamen ostendimus quo sensu interpretandae et ad quodnam tempus referendae sint affirmationes textus allati.

nibus monasteriis, quae vel in vita sua vel post obitum suum institutionis ac regulae suae normam ac propositum sequerentur, universi abbates singulis annis in festo sancti Dionisii ad primam matrem, de qua processerant, id est Praemonstratensem ecclesiam, quasi ad fontem potaturi convenirent, et simul positi generale capitulum tenerent, ac si quid vel communiter vel in aliquo forte corrigendum esset, ibidem corrigerent. Cum ergo necdum triginta anni transierint, ex quo dominus Norbertus per supradictum episcopum (Bartholomaeum) ibi adductus est ¹⁶⁾, iam tamen divina praestante gratia tot exinde monasteria pullularunt, ut fere centum abbates in praedicto festo ex eis ibi convenisse inveniantur, non solum ex Francia vel Burgundia, sed ex ipsa quoque Alemannia, Saxonia aut Wasconia » ¹⁷⁾.

Textus illos historicos primarios de nostro themate investigando, accurate inspiciamus.

Quoad conditionem praerequisitam, ut nempe de aliquo conventu abbatum plane sermo esse possit, ex primo textu, collato cum

¹⁶⁾ Ad determinandum terminum a quo computationis qua Hermannus utitur, ad tempus Concilii Fritzlaensis recurrendum est. Datum huius Concilii apud MANSI, *Concilia Generalia*, XXI, p. 178, ed. Florentiae-Venetis, 1759-1798) indicatur a. 1118. Wilmans, argumento fundatus ex *Vita A*, desumpto « post tertium ordinationis suae annum », qui, teste eadem *Vita A*, annus fuit 1115 (*l. cit.*, p. 670 et 673), pro anno militat 1118. Coram hoc Concilio apparuit Norbertus et se defendit contra accusationes suorum adversariorum (cfr. *Vita B*, *l. cit.*, p. 826, n. 19). Burchardus, Ursbergensis abbas O. Praem., centum annos postea scribens, perperam hoc factum cum Concilio Coloniensi coniungit (cfr. CONRADII a LIECHTENAU, *Abbatis Ursbergensis Chronicon*, ed. Basileae, 1569, p. 262), et sic mirum in modum rem turbat. Sed hodie non amplius disputatur de hoc termino: BOLLANDISTAE, *AA SS*, lun. I, p. 828, annot. c, C. L. HUGO, *La Vie de Saint Norbert*, Luxembourg, 1704, p. 65) et alii consentiunt. Cfr. fusius de hac re G. MADELAINE, *Histoire de S. Norbert*, I, p. 57 s. — Consequenter pro certo habere possumus annum 1119-1120 pro termino a quo computationis Hermanni, quando Hugo, primus Norberti discipulus, ad Norbertum accedit, et non annum 1118, mensem iunii — uti *Vita B* affirmat, manifeste errando (*l. cit.*, p. 829, n. 27) — quando Norbertus Concilio Fritzlaensi interfuit. Anno vero sequenti (1119) Norbertus a Concilio Rhemensis reversus, exeunte eodem anno, ab Episcopo Bartholomaeo ad Praemonstratum adductus est. Hanc chronologiam confirmat etiam *Chronicon de Mailros*: « D. Norbertus auctoritate papae Calixti (a die 9 febr. 1119) Ordinem Praemonstratensem instituit (cfr. *Chronicle of Melrose*, fasc. ed. London, 1936, p. 32). — Ex allata locutione HERMANNI deduxit etiam WILMANS tempus, quo HERMANNUS scripsit (vide n. praec.).

¹⁷⁾ MGH, SS, p. 658. Cfr. etiam *Liber de restauratione S. Martini Tornacensis*, ed. WAITZ, MGH, SS, XIV, p. 315, n. 86.

secundo, constat, praeter ecclesiam Praemonstratensem — de qua affirmat testimonium *Hermanni* eam esse « primam matrem »¹⁸⁾ et interventu Fundatoris eam accepisse abbatem in persona Hugonis¹⁹⁾ — tempore primi conventus a. cc. 1128²⁰⁾ iam in aliis quinque foundationibus quoque fuisse abbates constitutos²¹⁾.

Ipsum conventum, tamquam factum historicum, quod attinet, testimonio *Vitae B*, abundantius et clarius loquentis, certiores reddimur sex abbates in determinato loco convenisse. In hoc conventu sex abbates : 1) quidquid ad praesens in domibus suis superfluum esse videbatur reciderunt ; 2) ad exemplum Cisterciensium firmaverunt se annuatim simul reversuros. Huic ultimae affirmationi consentit *Vita A*.

In tertio vero textu, notio sat clara, licet non adaequata, traditur cuiusdam *instituti*, quod ab auctore testimonii *capitulum generale* expressis verbis vocatur. Ad hoc enim celebrandum, teste *Hermano* ex ordinatione ipsius Fundatoris, ex omnibus monasteriis universi abbates singulis annis convenire obligati fuerint.

Ex tribus textibus simul collatis, item constat de *fine* huiusmodi conventuum. Sed, prout *Vita B* distinguit, etiam nos distinguere debemus inter primum conventum sex abbatum, uti factum historicum concretum, et inter conventum annuum a sex abbatibus pro futuro sancitum.

Primus conventus, impellente motivo quodam determinato coactus, finem habuit *particularem*, quasdam nempe solvendi difficultates urgentes, quae vitam respiciebant foundationum, ut tempestive obveniatur imminenti periculo « dissolutionis ordinis ».

Finis futurorum conventuum annuorum — intelligantur sive futuri conventus sex abbatum qui propositum firmaverunt, sive « capitulum generale » de quo tertius textus loquitur, tamquam institutum a S. Norberto praescriptum — iuxta consonam formulam secundi et tertii testimonii est magis *generalis*, correctio nempe sinistrorum quae in observatione « ordinis » forte irrepserint, et quae, sive communiter in omnibus sive particulariter in aliquo, corrigenda erunt.

Haec sunt, ni fallimur, elementa essentialia quae ex tribus testi-

¹⁸⁾ Quo sensu haec locutio intelligenda sit, vide infra.

¹⁹⁾ De modo, an electione fratrum vel nominatione ex parte Fundatoris, infra agetur.

²⁰⁾ De tempore primi conventus pressius, p. 52 s.

²¹⁾ Terminum adhibemus omnino genericum. In fontibus inveniuntur termini : « ecclesia », « monasterium », « domus », raro « abbatia » et huiusmodi.

moniis methodo analytico-synthetica colligi potuerunt. Alia autem haud spernenda *adiuncta* ex eisdem testimoniis hauriri possunt, ratione habita particularium informationum, quae in iis continentur.

Attamen, ut sedulo vitentur vagae affirmationes, iuxta quas ex allatis testimoniis historicis certo constaret anno iam 1128 celebratum fuisse primum Capitulum generale Ordinis sensu hodierno sump-tum, iuvat urgere iam praemissam distinctionem, iuxta quam in textibus allatis de duabus agi rebus distinctis et sollicitè seiungendis.

Vita enim *B* de duobus diversis conventibus clare loquitur : a. de primo conventu sex abbatum, cui particulares quaedam circumstan-tiae abbatiarum iam fundatarum, quas nomine « dissolutionis or-dinis » designat, occasionem praebuit ; et b. de serie futurorum con-ventuum seu de *instituto quodam constitutionali*. Huiusmodi insti-tutio de futuris conventibus seu coadunationibus sex abbatum *im-primis* intelligenda est, qui pro futuro firmaverunt se annuatim ite-randi huiusmodi conventus, prout nostrae distinctioni testimonium *Vitae B* fundamentum suppeditat et *secundario* de instituto magis generali, in quo, teste *Hermann*o, secundum explicitam voluntatem Fundatoris, omnes abbates Norbertinae institutionis annuatim par-tem habere debebunt, et de quo textus *Herman*ni, triginta annis post institutionem « ordinis », tamquam de facto acquisito, loquitur.

Quoad *participantes*, utraque *Vita* videtur convenire de *numero*, de *locis*, et de *qualitate* personali eorum, prout constat e textibus superius comparatis et ex comparativis notis ibidem adiectis.

Quod autem attinet *institutum* dictorum conventuum et ipsam *convocationem*, non possumus quin aliquam diversitatem deprehen-damus, quandoque ad contradictionem usque pertingentem, quae in duabus redactionibus, veluti sub influxu oppositorum moliminum conceptis, necessario revelatur in attribuendis primis incoeptis cuius-dam organizationis *in fieri* primarum foundationum.

Etenim, *Vita A*, originis germanicae, Hugonem ponit in centro eventuum, tamquam primum moventem nascendae organizationis. Iuxta eam Hugo est qui in variis foundationibus abbates instituerit, qui eos ad conventum tenendum convocaverit, qui cum ipsis statue-rit se annuatim convenire. *Vita B* econtra, originis gallicae, ideam saltem instituendi abbates Norberto tribuit. *Hermannus Laudunensis*, ex sua parte, ideam ipsam Capituli generalis expressis verbis Nor-berto adscribit, et, cum *Vita B*, Hugonem solummodo tamquam executorem praeceptorum Norberti praesentat, suas informationes ita disponendo ut lector de origine Norbertina institutorum Ordinis

penitus persuasus fiat. Ulterius, facile in utraque *Vita* substratum quoddam commune inveniri potest, quod vel dependentiam unius ab altera (*Vita B* videtur posterior tempore), vel utriusque a quodam communi textu primitivo vel, saltem quoad multa, communem fontem informationum tradit, quae aliis quoque documentis coaevis confirmari vel ad minus, absque maiore difficultate, componi posse videntur.

Ita quoad *nominationem* primorum abbatum — quidquid sit de eorum caractere abbatiali — et quidem iam ante tempus primi conventus factam, affirmationes magna ex parte concordant vel faciliter concordari possunt, saltem quoad tres abbates. Procul dubio institutio abbatis in ecclesia Bonae Spei directe ab Hugone facta esse probatur. Item nominatio primi abbatis Antverpiensis et Floreffensis, sive ex mandato Fundatoris — prout verisimilius dicit *Vita B* ²²⁾ —, sive proprio marte ab Hugone facta fuerit. Quoad institutum abbatum Laudunensis et Vivariensis manifesta est contradictio. Coeteri fontes coevi affirmationi *Vitae A* favent, tenore cuius foundationes Laudunensis et Vivariensis iam ante institutionem Hugonis in abbatem Praemonstrati, et quidem ab ipso Norberto, abbates accepisse probantur ²³⁾.

Quidquid autem sit de ratione provisionis abbatialis in his casibus, iuxta unanime testimonium fontium, certum est tempore primi conventus abbatum, praeter Praemonstratum, in quinque aliis praedictis foundationibus quoque de propriis Superioribus iam provisum fuisse, quidquid item sit de caractere abbatiali vel de qualitate iuridica ipsorum.

Historici, uti MADELAINE et LAMY, absque dubio locutione suffulti *Vitae B*, pro certo habent tempore primi conventus sex foundationum Superiores caractere abbatiali fuisse iam insignitos, et quidem iuxta mentem et ordinationem Fundatoris ²⁴⁾. Et revera locutio uniformis *Vitarum*, qua Superiores continuo « patres » vocantur, iuxta usum termini technicum illius temporis ²⁵⁾, vix relinquit dubium, hic de abbatibus agi.

²²⁾ *Vitam B* sequitur etiam C. L. HUGO, *Annales O. Praem. saec. I*, Ms. Nancy, 1772 (1997), p. 95, sed opinio ipsius parvi momenti est, nam *redactio A*, tunc temporis ignorabatur.

²³⁾ Vide superius n. 9.

²⁴⁾ Cfr. G. MADELAINE, *Histoire de Saint Norbert*, I, p. 35; H. LAMY, *Vie du Bienheureux Hugues de Fosses*, Louvain, 1909, p. 51; *Id.*, *Le Bienheureux Hugues de Fosses*, in *La Terre Wallonne*, XIII, 1925, p. 64.

²⁵⁾ Vide superius n. 6.

Habuerintne benedictionem abbatialem illi primi « abbates » momento primi conventus, e fontibus non constat. Videtur tamen, saltem pro aliquibus, id affirmari posse ²⁶⁾.

Ex aliis fontibus historicis, etiam nomina participantium primi conventus repeti possunt ²⁷⁾. Ita, praeter Hugonem, Praemonstratensem abbatem, scimus Gualterum fuisse Laudunensem, Henricum Vivariensem, Waltmannum Antverpiensem, Richardum Floreffensem et Odonem Bonae Spei abbatem ²⁸⁾. C. L. HUGO ²⁹⁾ et C. TAIEE ³⁰⁾ ratione forsan habita affirmationis praecedentis, etiam Lucam, abbatem Cuissiacensem, inter participantes primi colloquii annumerant. Nullibi tamen invenimus confirmationem huiusmodi affirmationis; agitur proinde hic de mera coniectura deducta ex eo quod abbas Cuissiacensis inde ab initio in systemate vigilantiae super ecclesiam matrem Praemonstratensem partem habuerat ³¹⁾.

Ipsam convocationem abbatum quod attinet, *Vita A*, silente de primo conventu, de statuto solummodo annui colloquii loquitur, ipsum Hugoni primario attribuendo ³²⁾. E descriptione prorsus generica

²⁶⁾ Vide superius n. 2 et 9.

²⁷⁾ Cfr. annotationes G. HENSCHENII, *AA. SS., Iun. I*, p. 852 s.; LEPAIGE, *Bibliotheca...*, p. 439; 454 s.; 463.

²⁸⁾ Post editionem *Necrologii Praemonstratensis* de his nominibus non amplius dubium est. Excepto Richardo, omnium nomina ibidem inveniuntur. Cfr. *L'obituaire de l'abbaye de Prémontré* (XII^e s.), ed. R. VAN WAEFELGHEM, Louvain, 1913, p. 45, 193, 169, 109, 40. Quoad Richardum, notat idem VAN WAEFELGHEM, nomen illius nullum ex numerosis necrologiis ab ipso examinatis continere. Constat tamen Richardum adhuc a. 1130 abbatem fuisse Floreffiae (cfr. R. VAN WAEFELGHEM, *Les abbés des monastères belges*, in *An. Praem.*, XII, 1936, p. 110). Nec *Necrologium Floreffense* meminit Richardi (cfr. *Nécrologe de l'abbaye de Floreffe*, ed. J. BARBIER, in *Analectes pour servir à l'histoire eccl.*, XIII, 1876, pp. 5-70; 190-286). *Catalogus abbatum Floreffensium Petri de Herenthals*, Richardum refert primum abbatem (cfr. ed. U. BERLIÈRE, in *Compte rendu des séances de la Commission royale d'histoire*, V série, VIII, 1898, Bruxelles, p. 232 s.).

²⁹⁾ C. L. HUGO, *La Vie de S. Norbert*, p. 274.

³⁰⁾ *Prémontré*, in *Bulletin de la Société Académique de Laon*, XIX (1869-1870), Laon-Paris, 1872, p. 135.

³¹⁾ Iam a. 1134, iuxta Bullam « *Proprium est* » Innocentii II, 3 maii 1134, ed. J. RAMACKERS, in *An. Praem.*, XI, 1935, p. 138.

³²⁾ Non respondet veritati, biographum Brandenburgensem invocare in testimonium affirmationis ac si convocationem abbatum ad Capitulum annuum ipse Fundator praescripsisset, prout asserit G. MADELAINE, *Histoire de Saint Norbert*, I, p. 35, coll. cum textu *Vitae A* supra citato, p. 43 s. Nam, ni fallimur, biographus Brandenburgensis idem est ac redactor *Vitae A*, in qua nihil de huiusmodi attributione legitur.

Vitae B nihil deducere possumus circa auctorem convocationis. Nihilominus excludenda non videtur aliqua navitas ex parte Hugonis, praesertim si positionem consideramus eminentem, quam abbas matricis ecclesiae in solvendis difficultatibus habere potuerit.

Relate ad quaestionem, ubi primus conventus abbatum locum habuerit, biographi nostri nihil dicunt. *Vita A* quidem « de loco determinato » loquitur, sed iuxta contextum etiam hoc ad conventus refertur quos Hugo, cum quinque abbatibus, pro futuro coactos statuit. Item *Vita B* « de loco determinato » agit, sed eius notitia, iuxta contextum, ad locum referenda est in quo de facto sex abbates convenerunt. Habita ratione testimonii *Hermanni Laudunensis*, primus quoque conventus abbatum Praemonstrati locum habere debuerit, nam, prout asserit, Norbertus constituisset ut « ad primam matrem, de qua processerant, id est Praemonstratensem ecclesiam, quasi ad fontem potaturi convenirent ». Haec affirmatio tamen, prout ex distinctione superius facta sequitur, ad sedem habitualement Capitulorum generalium refertur, quae, iuxta Hermannum, ad mentem Norberti ab initio teneri debebant. Partes nihilominus quas ecclesia Praemonstratensis in fundatione et propagatione Ordinis egit, merito suggerunt primi colloquii locum quoque ipsum Praemonstratum fuisse ³³).

Etiam *annus* in quo prima vice sex abbates convenerunt, sat controversus est. Sunt qui terminum plane determinatum urgent. Ita SMOLDERS ³⁴), affirmatione forsitan suffultus LEPAIGE, annum proponit 1130. Sed ex adiunctis patet, LEPAIGE non de primo conventu sed, ad summum, de secundo cogitasse, quem generalem vocat, nam adiungit : « tam abbates quam praepositi numero tantum novem vel decem fuerant ; postea centum viginti et plures » ³⁵). Cum procul dubio pro fonte suae informationis etiam LEPAIGE textibus usus fuerit suo tempore cognitis — *Vitae B* et operis *Hermanni* — merito coniiicimus et ipsum annum 1128 vel 1129 pro tempore primi conventus habuisse. Etiam LAMY in prima editione biographiae Hugonis, annum urget 1128 uti maxime probabilem. Postea cautior, modo tantum generico affirmat, primum Capitulum locum habere debuisse quamprimum post Hugonis a Magdeburgio reditum ad

³³) De loco Capitulorum generalium infra agemus.

³⁴) Cfr. *Les Statuts de Prémontré*, in *Annuaire de l'Université de Louvain* 1912, Seminaire historique, Rapport sur les travaux pendant l'année 1910-1911, p. 411.

³⁵) Cfr. *Bibliotheca...*, p. 419, coll. cum textu *Vitae B* et HERMANNI superius citato.

Praemonstratum ³⁶⁾. Contextus incisi, in quo hanc affirmationem fundat, aliud vero edicit ³⁷⁾. Cum tamen *terminus post quem*, electio scilicet Hugonis, in qua utraque Vita concordat, a. 1128 vel 1129 fuisse probetur ³⁸⁾, cum L. VAN DIJCK ³⁹⁾ annum 1128 valde probabilem existimamus, tamquam tempus colloquii, electione et constitutione Hugonis in abbatem Praemonstrati non multo posterius. Maior pars historicorum annum 1128 admittunt pro termino primi conventus ⁴⁰⁾.

Supra ⁴¹⁾, iuxta textum *Vitae A*, iam dictum est conventum annum abbatum statutum esse « pro resarcienda dissolutione Ordinis ». Merito quaeritur quid hoc inciso in specie significetur.

Biographiae S. Norberti nullum quidem dubium relinquunt, Regulam quam Norbertus a. 1121 apud Praemonstratum cum primis discipulis suam fecit, Regulam fuisse S. Augustini ⁴²⁾. Verum, quae-nam ex pluribus Regulis S. Augustino tributis, de quonam « ordine »

³⁶⁾ Cfr. H. LAMY, *Vie du Bx Hugues de Fosses*, Louvain, 1909, p. 53 n. 1, coll. cum *Le Bx Hugues de Fosses*, in *La Terre Wallonne*, XIII, 1925-1926, p. 66.

³⁷⁾ Iam G. MADELAINE, *Histoire de S. Norbert*, ed. 1886, p. 364, n. 2, argumentum erroneum construxit, quod etiam ed. III, Tongerlo, 1928, II, p. 35, n. 16, retinet. Ipsum videtur sequi etiam LAMY (*op. cit.*, ed. 1909, p. 53, n.), sed uterque, uti patet, contextum contra regulas grammaticales urgentes: « Isti quinque, et sextus, quem ad locum qui dicitur Bona Spes, statim post introitum suum, Abbas Praemonstratensis exposuerat, instantem dissolutionem Ordinis... metuentes, ad diem statutum in loco determinato convenerunt ». Hi auctores ergo *Statim post introitum suum* directe ad terminum trahunt primi conventus, licet hoc, iuxta contextum, immediate — si non exclusive — ad constitutionem abbatis Bonae Spei legitime referatur oportet. Coeterum ex argumento interno textus, absque contorsione contextus, concludi potest terminum primi conventus fuisse revera proximum ad Hugonis ad Praemonstratum introitum.

³⁸⁾ Vide superius n. 7.

³⁹⁾ Cfr. *Les origines du pouvoir de l'Abbé général*, Tongerlo, 1953, p. 132, n. 25.

⁴⁰⁾ Cfr. praeter iam citatos, C. L. HUGO, *La vie de S. Norbert*, p. 274 s., I. MASIVS, *Chronicon Ecclesiae Parcensis*, Ms. saec. XVII arch. Parc., cit. apud G. MADELAINE, *op. cit.*, ed. 1886, p. 364, n. 2; R. VAN WAEFELGHEM, *Les premiers Statuts*, p. 9, n. 2.

⁴¹⁾ Vide superius, p. 45.

⁴²⁾ *Tandem ne professioni canonicae cui et ipse et quotquot cum eo vivere volebant, attitulasi fuerant ab infantia, iniuriam inferre videretur, regulam quam Beatus Augustinus suis instituit, afferri praecepit. Apostolica enim vita quam in praedicationis susceperat iam optabat vivere, quam utique ab eodem beato viro post Apostolos audierat ordinatam et renovatam fuisse* (*Vita A*, l. cit., p. 683; *Vita B*, l. cit., p. 836, n. 51).

in concreto apud primos Praemonstratenses ageretur, cuius dissolutio a primis patribus timebatur, non ita facile determinari posse videtur. Viam apertam relinquendo ulterioribus investigationibus, statum referimus sat complexae quaestionis, prout apud historicos nunc proponi solet.

Sermo fit in litteratura recenti de *Regula prima S. Augustini*, seu de sic dicta *Regula consensoria*, quae exhortationem ad unionem fraternam et renunciationem bonis terrenis continet, S. Augustino adscriptam ⁴³). Pro *Regula secunda*, etiam *Disciplina* seu *Ordo Monasterii* dicta, a studiosis habetur summa quaedam praescriptio-num de psalmorum et antiphonarum distributione — sat insolita et ab aliis quae in usu viguerunt Romae et apud monachos prorsus diversa — de operum manualium ordine, de iugo silentio et de coe-teris vitae communis manifestationibus intra et extra monasterium disponit in particulari ⁴⁴). *Tertia* seu *Regula ad servos Dei*, quae hodie tanquam *Regula S. Augustini* in pluribus Ordinibus virorum in usu est, in vetustissimis Mss. saec. VII-XII « Ordinem Monasterii » subsequitur et unum quoddam integrum cum hoc, sub nomine *Regulae S. Augustini* constituit. Veluti appendix Epist. 211, hucusque S. Augustino attributae, invenitur *quarta* quoque *Regula pro Sanctimonialibus*, quae nihil aliud esse videtur quam *Regula ad servos Dei* cum nonnullis adaptationibus pro mulieribus transscripta ⁴⁵).

Circa authenticitatem Regularum illarum prioritatemque unius prae altera, variae proferuntur sententiae. Cum autem *Ordo monasterii* et *Regula ad servos Dei* usque ad saeculum saltem XII, unum corpus *Regulae S. Augustini* constituerint, mirum non est si nascentes

⁴³) Ed. P. L., XXXII, col. 1447 ss., Etiam D. DE BRUYNE, *La Regula Consensoria. Une Règle des Moines priscillianistes*, in *Rev. Bén.*, XXV, 1908, pp. 82-86. W. HUEMPFNER, e contra, antipriscillianismi vestigia in ea deprehendi autumat et S. Fructuosio, episcopo Bragensi, eam attribuit (cfr. IORDANI DE SAXONIA, *Liber Vitasfratrum*, ed. ARBESMANN-HUEMPFNER, New-York, 1943, p. LXXVIII).

⁴⁴) Ediderunt SCHROEDER, *Die Augustinenchorherren-Regel. Entstehung, Kritischer Text und Einführung der Regel*, in *Archiv für Urkundenforschung*, IX, 1926, p. 271; D. DE BRUYNE, *La première règle de S. Benoît*, in *Rev. Bén.* XLII, 1930, pp. 316-342; C. VEGA, *La Regla de San Augustin. Edicion critica precedida de un estudio sobre la misma y los Codices de El Escorial*, El Escorial, 1933; ARBESMANN-HUEMPFNER, *Kritischer Text der Augustinusregel*, in *Iordani de Saxonia Liber Vitasfratrum*, New York, 1943, p. 489.

⁴⁵) P. L., XXXIII, col. 960 ss. Textus originalis Epist. 211, ed. a GOLDBACHER, *Epistulae s. Aurelii Augustini IV*, *Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum*, LVII, Vindobonae, 1904, pp. 356-371.

communitates saec. XI-XII, quae Ordinem Canonicorum professae, tamquam Ordo novus in numero profitentium vitae apostolicae inseri cupiebant, simpliciter et integre huiusmodi Regulam receperint. *Ordo Monasterii*, qui, non longe ab omni austeritate vitae communis, cum suis praescriptionibus particularitatibus iuste ut complementum et applicatio practica *Regulae ad servos Dei* considerari potuit, reapse optime convenit conaminibus partim ad rigorismum, saepe ad formam eremiticam vitae pertinentibus, quae in praedictis communitatibus, etiam sub impulsu reformationis Gregorianae, non fuerunt prorsus alienae.

De huiusmodi conatibus primorum sequacium Norberti, fontes coevi nullum relinquunt dubium. Etenim ex *Additamentis Fratrum Cappenbergensium ad Vitam Norberti posteriorem* ⁴⁶⁾, et ex opere HERMANNI LAUDUNENS. *De miraculis S. Mariae Laudunensis* ⁴⁷⁾, constat tenorem Regulae, quam primi Praemonstratenses professi fuerunt, austeriorem fuisse quam ipsa *Regula S. Augustini ad servos Dei*. Quae severior ratio vitae nihil aliud fuisse videtur, vel ad minus nihil aliud pro fundamento habere potuit, quam *Regulam ad servos Dei*, simul cum *Ordine Monasterii*, quem ut unum corpus *Regulae S. Augustini* considerabant ⁴⁸⁾.

Huiusmodi identitatem Regulae, quam primi Praemonstratenses secuti sunt, cum integra Regula S. Augustini, etiam allusiones probare videntur GUALTERI, episcopi de Maguelone, liturgiam Praemonstratensium afficientes ⁴⁹⁾.

⁴⁶⁾ Placuit itaque Spiritui Sancto... ut in... Coenobiis Fratres... Regulam beati profiterentur Augustini, eo quidem tenore, uti Regulam eamdem aliquanto districtius, quam eatenus usitatum fuerat, observarent; seu scilicet adipis et carniurn abstinendo, austeriori quoque habitu poenitentiae rigorem exhibendo. MGH, SS, XII, p. 705.

⁴⁷⁾ Norbertus... suae institutionis primus fuit plantator, primusque Dei dono inceptor; quoniam licet eius sequaces B. Augustini dicant se tenere regulam, tamen, eiusdem B. Augustini pace dicamus, multo rigidior, multoque severior videmus esse Norberti, quam Augustini Institutionem (ed. d'ACHERY, p. 547). Cfr. etiam *Liber de restauratione Monasterii S. Martini Tornacensis*, ed. WAITZ, MGH, SS, XVI, p. 315, n. 86.

⁴⁸⁾ E litteratura cfr. F. PETIT, *La spiritualité des Prémontrés aux XII^e et XIII^e siècles*, Paris, 1947, p. 17; 36 s.; C. DEREINE, art. Chanoines, in *Dict. d'Hist. et de Géogr. Ecclés.*, t. XII, Paris, 1953, col. 353-405.

⁴⁹⁾ Cfr. *Epistolam Gualteri*, ed. MOHLBERG, *Radulph de Rivo*, Münster, 1915, p. 8. — Est responsum dicti episcopi ad canonicos reg. Calmosiacenses qui authenticitatem Regulae et Ordinis, quem Praemonstratenses secuti sunt, in du-

Quidquid tamen sit de identitate « ordinis » cum *Ordine Monasterii*, certum est in Praemonstratensi coeterisque ecclesiis quae ad eius exemplum vitam canonicam et apostolicam instituerunt, a. 1126 ordinem viguisse canonicum, quem prius legati S. Pontificis, Calixti II, *Petrus Leo* et *Gregorius S. Angeli* laudaverunt ⁵⁰⁾, et quem *Honorius II*, in bulla « *Apostolicae disciplinae* », 16 febr. 1126 sancivit ⁵¹⁾. Hic ordo merito vocatur primus, et, etsi relinquatur quaestio aperta, utrum fuerit idem ac *Regula secunda S. Augustini* seu *Ordo monasterii*, erat norma concreta vitae communis, iuxta quam primi discipuli Norberti professionem canonicam servare proposuerunt. Fidelitas enim S. Norberti erga professionem canonicam, quam biographi passim inculcant, nos monet institutionem ipsius, quoad severitatem disciplinae ac austeritatem vitae communis, non alibi quam in interpretatione severiori integrae Regulae S. Augustini quaeri debere.

His praemissis, iterum quaeri potest, ad quid ipsa « dissolutio ordinis », quam primi sex abbates instantem viderunt in plerisque locis et maiorem in futuro metuebant, referatur oportet ?

Iam simplex allusio ad « dissolutionem ordinis » aliquid suggerit, quod simul cum difficultatibus in utraque *Vita* relatis, quas opus Norberti iam in suis incunabulis subire debuit, merito historicos induxit sub specie narrationum veram crism primae plantationis Nor-

bium vocaverunt. Similis tenoris est *Epistola Pontii*, abbatis S. Rufi (ed. P. L., CLXIII, col. 1477-1480), cuius termini praecisiores, expressius ad *Ordinem Monasterii* alludunt. Vide fusius apud C. DEREINE, *Le premier « Ordo » de Prémontré*, in *Rev. Bén.*, LXIII, pp. 84-92; eiusdem *S. Ruf et ses coutumes aux XI^e et XII^e siècles*, in *Rev. Bén.*, LXIX, 1949, pp. 167-175; art. *Chamouzey*, in *Dict. d'Hist. et de Géogr. Ecclés.*, t. XII, Paris, 1953, coll. 597-600.

⁵⁰⁾ *Omnipotenti Deo*, 28 iun. 1124, ed. LEPAIGE, *Bibliotheca*, p. 390. Notandum tamen est annum ab ipso indicatum, 1125 esse erroneum, nam a. VI Pontificatus Calixti II, est annus qui currit a 2 febr. 1124 - 13 dec. 1124. — In hoc « decreto laudis » Legati terminis utuntur adhuc valde genericis: *omnibus in vestris coenobiis vitam canonicam secundum huius tenorem ordinis* (canonici, in praecedentibus enim sermo est de ss. Patrum vita probabili, quam inter alios Augustinus suis ordinavit regulis) *profitentibus et in ea permanentibus... benedictionem et peccatorum suorum absolutionem concedimus. Constituentes ne cuiquam omnino liceat hunc vestri ordinis statum commutare.*

⁵¹⁾ *Statuimus ut in Ecclesiis vestris, in quibus Fratres vitam canonicam professi degunt, nulli omnino hominum liceat secundum B. Augustini Regulam ibidem constitutum ordinem commutare*, ed. G. MADELAINE, *Histoire de saint Norbert*, II, p. 208 s.

berti supponere, imo nonnulla circa ipsum fontem difficultatum suspicari.

Certe, absentia continuata ac postea discessus Fundatoris ad Magdeburgium, Praemonstrati haud iuvare potuit consolidationem vitae, quam communitas adhuc in via formationis relicta, ducere debuit. *Vita B* difficultates huius generis in primo loco ponit ⁵²⁾. Radicem tamen huiusmodi crisis profundius latuisse, quaedam observatio *Vitae B* insinuare videtur, quod revera informatione *Vitae A* plene confirmatur. Absentia denique pastoris — de qua *Vita B* disserit — problema ad summum locale Praemonstrati constituere potuit, quod tandem aliquando electione Hugonis solutum erat. Id quod remansit, erat radix dissensionis, quae circa a. 1128, non tantum Praemonstrati, sed in « plerisque locis », in quibus Patres vitam canonicam professi, iuxta « ordinem » secundum B. Augustini Regulam ibidem constitutam et immutabiliter conservandum, vixerunt, ipsam institutionem Norberti in periculum dissolutionis adduxerunt. Textum vero et contextum utriusque Biographiae attendentes, merito asserimus radicem dissensionum ipsam Regulam fuisse et « ordinem » iuxta quem Norbertus vitam communem instituerat. Circa Regulam et authenticitatem « ordinis » agitabantur animae iam circa a. 1121, quando interventus personalis Fundatoris tempestates diversorum spirituum sedavit et contententes ad unum sensum perduxit. Sed « unanimis habitatio in domo Domini » recedente pastore, sub influxu praesertim criticarum observationum, quas adversarii, divulgatione Ordinis, et numero et audacia continuo crescentes, invehebant ⁵³⁾, vere intolerabilis reddita esse potuit.

Biennio post discessum Fundatoris elapso, facta Norberto relata denuo interventum ipsius postulabant. Ex modo quo Norbertus hac vice quaestionem ad se vocavit tractavitque ⁵⁴⁾, merito coniicitur Magdeburgi a. circiter 1128 plus quam de simplici provisione suc-

⁵²⁾ *Orbatus grex pusillus Praemonstratensis Ecclesia tanto Patre..., per biennium patienter exspectabat. Aliis ex ipsis cum quibusdam saecularibus dicentibus: subsistere nequaquam poterimus, quia recedente pastore, oves abire solent in dispersionem, alii nulla Magistrum nisi ipsum, alii de ipso desperantes, alium volebant eligere; et in hunc modum contententes... nullumque fidelis exhortationis solamen habentes; titubare potius adhuc tenuiter radicati, quam stabilitatem poterant de se cogitare. Vita B, l. cit., p. 852, n. 99.*

⁵³⁾ Cfr. Epistola GERHOCHI, praepositi Reichersbergensis, ad Innoc., II, a. 1131, in MGH, *Libelli de lite*, II, Hannoverae, 1897, p. 204.

⁵⁴⁾ Cfr. *Vita B*, p. 852, n. 99.

cessoris ipsius apud Praemonstratum, actum fuisse. Simul cum quaestione provisionis, de ipsis fundamentis vitae communis, de normis et observantiae regularibus, quibus in futuro Fratres dirigi debebunt, provideri debuit, ut dissensionum materia in posterum e medio penitus tolleretur. Decisio electionis, qua Hugo apud Praemonstratum Norberto succedit, coeteris problematibus viam resolutionum aperire debuit. Huiusmodi suppositionem nostram tum praecedens quoddam tum cursus posterior eventuum iustificare videtur.

Ad hanc enim dissensionem referri debere fragmentum quoddam Bullae Honorii II, nobis non videtur dubium. Argumentum enim Bullae non solum referri ad praedictas difficultates «ordinis», sed cum illis insuper intime cohaerere videtur: «Vos... canonicam vitam professi, qui secundum Beati Augustini regulam vivere decrevistis, constitutionem ipsius caritate, patientia, morum honestate, firmiter teneatis... Coeterum de *psalmodia et de aliis officiis ecclesiastici* vobis mandamus ut ea, quae secundum aliorum regularium fratrum consuetudinem celebretis». Exemplum similis interventus non deficit in hac periodo etiam apud alias communitates Canonico-regularium⁵⁵⁾.

Problematibus «ordinis» fundamentalibus, Magdeburgii, interventu Fundatoris et plurium ex prioribus et sanioris consilii fratribus, discussis sed non plene resolutis, nisi quoad electionem Hugonis, uti successoris Norberti apud Praemonstratum constitutionemque abbatum in coeteris foundationibus magis evolutis, solutio difficultatum et sors «ordinis», in manibus Hugonis deposita fuisse videtur. Cursus vero posterior eventuum apud Praemonstratum, continuatio logica esse videtur praemissorum.

Quod primus «ordo Praemonstratensis» seu, ut videtur ex praemissis, *Ordo Monasterii* fidem unanimem fratrum non habuerit, eius-

⁵⁵⁾ Quaestionem inter vos de B Augustini regula emeruisse audivimus, quoniam quaedam in ea scripta sunt, videlicet de officiis, de labore manuum, et de ieiunio, quae non possunt in nostris provinciis adimpleri. Quibus in rebus competens moderatio adhibenda est. Ea enim, quae ad mores bonos pertinent, divina cooperante gratia, observanda sunt. Ea vero, quae de officiis ab eodem doctore scripta sunt, quia et in Romana et in coeterarum ecclesiarum consuetudine discrepant, observari non possunt; sicut in beati Benedicti regula quaedam de huiusmodi observationibus scripta sunt, quae nostris temporibus per monasteria longe aliter sunt, neque tamen propter hoc monachorum professio creditur infirmari (Bulla Quaestionem inter vos, Gelasii II, 11 aug. 1118. Springiersbacon: ed. P. L., CLXIII, col. 163).

que applicatio, sicut apud coeteras familias canonicales, impossibilitates practicas invexerit, nos revera ad admittendum ducit tempore, quo Hugo abbas et successor Norberti constitutus fuit, non solum Praemonstrati sed in coeteris quoque foundationibus veram crisim adfuisse « ordinis ». Allusionem ergo *Vitae B* ad « dissolutionem ordinis » in hoc sensu interpretari et affirmare, controversias circa ipsam normam vivendi, dedisse impulsum primo conventui abbatum, non longe esse a veritate historica absque dubio admitti posse videtur.

Sex vero abbates praedictae dissolutioni obventuri, quidquid eo usque immoderatum viderunt ita reciderunt, quod ea quae in Regula et « ordine » ad bonos mores pertinent firmiter retineantur, ea vero quae de officiis, de labore manuum et de ieiunio praescripta fuerunt, convenienter moderentur, amputando magna ex parte « Ordinem Monasterii » simul cum antiphonarum et psalmodum insolita distributione, quae nec Romana, nec monasticum neque ecclesiasticum sequebatur usum. Sic via parata efformationis « ordinis » relate ad praecedentem, novi, primis gressibus ab ipsis abbatibus in conventu congregatis inlatis, reliquum ad futurum protulerunt, in quo similes coadunationes abbatum, ex statuto eorum, repeti debebunt. Horum conventuum erit, iuxta mentem sex abbatum, codificationem usuum et consuetudinum necnon institutionem organorum regiminis, vinculum creare unionis iuridicae monasteriorum, quod et factum fuisse in subsequenti tempore et per gradum tantum, documenta ad nos perventa sufficienter probant.

Ad quaestionem *quid ulterius et de facto* — praeter supra dicta generalia — *in primo conventu a sex abbatibus provisum fuerit*, vel a historicis praesumatur operatum fuisse, responsum ab ipsis hucusque datum nobis non videtur absque ulla reservatione admittendum.

Historici siquidem Ordinis non dubitant ipsam primam codificationem iuris tum constitutionalis tum disciplinaris primo illi conventui adscribere, cui, de coetero, indolem tribuunt ac nomen *Capituli generalis*. Sic praetendunt, praeter principia fundamentalia organizationis Ordinis tum internae abbatiarum tum inter-abbatialis, etiam disciplinam regularem in suis elementis particularibus in hoc « primo Capitulo generali » statutam fuisse. Abbatis Generalis — dicunt illi — sicut et coeterorum abbatum vel praepositorum electio ad vitam ; Capitulum generale singulis annis celebrandum, quo Ordo tamquam supremo tribunali fungatur oportet, et cui omnes religiosi - Superiores et subditi, Abbate Generali non excepto - subiicerentur, et cuius membra de iure sint omnes et singuli abbates vel

praepositi monasteriorum, ab hoc primo Capitulo statutum fuit. Quoad disciplinam, particulares praescriptiones, sicut abstinencia perpetua a carnibus; limitatio ad septem menses ieiunii, quod tempore Norberti erat perpetuum (a die Exaltationis S. Crucis usque ad Pascha); decisiones quae obligationes religiosorum in monasteriis degentium moderantur, sicut et parochorum, capellanorum et confessoriorum; clara definitio iurium et officiorum Praelatorum, omnes ab hoc primo capitulo in forma Statutorum editae fuerint ⁵⁶⁾).

Sane, contra huiusmodi affirmationes, attentius inquirenti obiectiones exurgunt duplicis ordinis, historici nempe et iuridici, quae sola auctoritate affirmantium vix solvi poterunt.

Imprimis, acta primi conventus dato sed non concesso, quod ea scriptis mandata, in forma Statutorum, fuerint quibus supradictae affirmationes, tamquam veritas historica, absque residuo vindicari possent, ad nos, saltem hucusque, non pervenerunt. Sed nec integra codificatio primitiva — puta in forma Statutorum sive a MARTÈNE sive a LEPAIGE editorum — opus unius conventus esse potuit, uti iam MADELAINE et LAMY merito supposuerunt, veritatem nihilominus vindicantes supradictarum affirmationum ⁵⁷⁾.

Verum quidem est, gratia inventionis et inquisitionum, quibus VAN WAEFELGHEM meritis est, *Statuta* sic dicta *primaria* Ordinis, etiam edita nos prae manibus haberi ⁵⁸⁾, quae hodie ab omnibus studiosis tamquam omnium prima admittuntur; remanet tamen dubium de origine, et non paucae remanent incertitudines de valore iuridico huiusmodi codificationis.

⁵⁶⁾ Cfr. C. L. HUGO, *La vie de Saint Norbert*, p. 274 s. Ipsum secuti sunt G. MADELAINE, *Histoire de Saint Norbert*, ed. 3a, Tongerlo, 1928, II, p. 36; H. LAMY, *Vie du Bx. Hugues de Fosses*, Louvain, 1909, p. 54, et *Le Bx. Hugues de Fosses*, in *La Terre Wallonne*, XIII, 1925-1926, p. 66 s.

⁵⁷⁾ LEPAIGE asserit *Statuta Primaria* (ab ipso publicata, in *Bibliotheca...*, pp. 777-831) fuisse ab ipso Norberto confecta et promulgata. Eius tamen observatio, prout ex contextu sequitur, ad principia fundamentalia ascesis Norberti et formam vitae canonicam potius referri videtur, quam ad redactionem cuiusdam codicis completi totius institutionis Norbertinae (cfr. *Bibliotheca*, p. 777, coll. cum p. 376).

⁵⁸⁾ *Les premiers Statuts de l'Ordre de Prémontré*, in *Analectes de l'Ordre de Prémontré*, IX, 1913, cum pag. propria. In sequentibus sigla indicentur: SW. Iuvat observare haec Statuta, uti prae coeteris eo usque cognitis antiquiora fuisse iam a HUGO indicata: *Pagius* (p. 785) *primarias Constitutiones in sua Bibliotheca* evulgavit. Anteriores extitisse censet doctissimus P. DE NORIEGA, reformatae Congregationis Hispanicae caput, multisque argumentis antiquitatem sui Codicis ms. vindicat (cfr. C. L. HUGO, *Annales*, III, ms., p. 147); cfr. etiam C. SAULNIER, *Statuta 1630*, ed. Stivagii, 1725, p. 328, n. a. ad n. 2, cap. XIV, Dist. III.

Ea quae de his Statutis analysi paleographica et exegesi iuridica iam VAN WAEFELGHEM determinavit, hodie quoque tuto admitti queunt⁵⁹⁾. Ea vero quae H. HEIJMAN ulteriore studio comparativo, etiam quoad fontes materiales indicavit⁶⁰⁾, etiamsi post studia a PL. LEFÈVRE prodita⁶¹⁾, praesertim post inventionem et publicationem textuum antiquorum *Chartae Charitatis* et *Summa CC*⁶²⁾, in nonnullis revisione indigent et complemento⁶³⁾, manent semper pretiosa.

Summum quod hodie de indole iuridica *SW* (Statuta ed. a VAN WAEFELGHEM) absque temeritate teneri potest, ita paucis indicari posse videtur: Tentamen erat privatae auctoritatis, nam deficiente adhuc « Ordine », defecit et auctoritas competens a quo codex quidam communis Constitutionum prodire potuisset. Imo etiamsi — supposito non concesso — *SW* fuisset opus primi conventus abbatum, cum qualificatio iuridica primi conventus uti veri et proprie dicti Capituli generalis disputata esse videatur, neque ex hoc capite possent *SW* uti Constitutio generalis Ordinis retineri.

Nihilominus tamquam testimonium princeps cuiusdam inceptio-
nis legislativae, necnon conatum qui primos movere potuit Patres Ordinis ad constituendam monasteriorum unionem, vivente adhuc Fundatore, et in hac unionem regimen ordinare commune et supremum, *SW* conservant summum pretium et qua talia a nobis aestimantur et qua fonte primi ordinis ipsis uti possumus, ad cognitionem circa primitivam ordinationem regiminis Ordinis acquirendam.

⁵⁹⁾ Cfr. *Les premiers Statuts*, l. cit., pp. 1-4.

⁶⁰⁾ Cfr. *Untersuchungen über die Prämonstratenser Gewohnheiten*, Tongerlo, 1928, pp. 1-132.

⁶¹⁾ Cfr. *Les premiers Statuts de Prémontré réformés*, p. XIII s.; *Prémontré et les chanoines réguliers du S. Sépulchre*, in *An. Praem.*, XXV, 1949, pp. 100-103.

⁶²⁾ Cfr. *CC « prior »*, iuxta Ms. 31 Bibl. Labacen., ed. J. TURK, in *An. S. O. Cist.* I, 1945, pp. 53-56. Ms. integre ed. NOSCHITZKA, *ibid.*, VI, 1950, pp. 1-124. — *Summa CC*, iuxta Ms. 4346 Bibl. Nation. Paris. ed. T. HUEMPFNER, *Exordium Cistercii cum Summa CC*, Vac, 1932; iuxta Ms. 1207 Bibl. S. Genovefae Parisien., ed. J. TURK, l. cit., IV, 1948, p. 140 ss. Ms. integre ed., et Statuta quae e Ms. 1207 deficiunt ope Ms. 1711 Bibl. Com. Tridentini restituit J. A. LEFÈVRE, in *Col. O. C. Ref.*, XVI, 1954, pp. 97-104. — Inventio Ms. 1711 Bibl. Tridentini J. LECLERCQ debetur (cfr. *Une ancienne rédaction des coutumes cisterciennes*, in *Rev. d'Hist. Ecclés.*, XLVII, 1952, pp. 172-176).

⁶³⁾ J. VERMEER, *De invloed van de Carta Caritatis van Cîteaux op de Statuten van Prémontré*, in *Studia Catholica*, XXVI, 1951, pp. 65-78; J. A. LEFÈVRE, *A propos des sources de la législation primitive de Prémontré*, in *An. Praem.*, XXX, 1954, pp. 12-19.

Ut melius appareat quantum fundata sint dubia de iuridicitate primorum Satutorum (SW) mota, remanet aliquid dicendum de indole primi conventus abbatum. Attamen, censemus prius exponi debere statum iuridicum primorum monasteriorum, tum relationem iuridicam eorum inter se tum ad caput quoddam commune, sive auctoritatis personalis sive collegialis. Exinde concludi poterit indoles iuridica, plus vel minus, primi conventus abbatum.

Sane, opinio fere communis, saltem usque ad recentiora tempora, tenet Capitula generalia apud Praemonstratenses non solum primo incepisse conventu sex abbatum, verum etiam ipsum primum conventum uti Capitulum generale Ordinis habendum esse ⁶⁴). Huius opinionis recentior interpretes, LAMY, a. 1909, de primo conventu tamquam de primo Capitulo generali loquitur ⁶⁵). Imo, contra VAN WAEFELGHEM contradicentem ⁶⁶), strenue defendit suam opinionem et distinctionem VAN WAEFELGHEM omnino iustificatam retorquendo, ad suam partem conatus est vim trahere argumentorum : « Simple question de mots dont nous ne saisissons pas l'importance... Il est évident que le mécanisme complet de cette institution ne fut pas improvisé dès la première assemblée, mais c'est cette assemblée (peu importe le nom qu'on veuille lui donner) qui ouvrit la série des réunions annuelles d'abbés, que l'on appelle communément les chapitres généraux » ⁶⁷). Postea tamen, cautius, de « congregatione » tantum abbatum loquitur LAMY ⁶⁸).

Factis autem inhaerentes, plus valere videtur distinctio introducta a VAN WAEFELGHEM, quam recursus ad terminos qui rebus non respondent. Etiam in hac materia erronea regula adhiberi posset : Post hoc, ergo propter hoc. Praecedentia dumtaxat in tempore, rationem sufficientem non tribuit affirmandi rerum identitatem. Cum conventu, primo in tempore, incepisse seriem posteriorum conventuum abbatum evidens est, sed propter hoc primus iste conventus abbatum non habebat indolem Capituli generalis, proprie dicti.

⁶⁴) Cfr. C. L. HUGO, *La Vie de Saint Norbert*, p. 274 s.; G. MADELAINE, *Histoire de Saint Norbert*, II, p. 35 s. — Cautius opinantur LEPAIGE, *Bibliotheca*, p. 419; LE MIR (MIRAEUS), *Ordinis Praemonstratensis, Chronicon*, p. 76 s.; qui de primo quasi Capitulo, de annuo conventu, congregatione loquitur.

⁶⁵) Cfr. *Vie du Bx. Hugues de Fosses*, Louvain, 1909, p. 52 ss. et not. 1, p. 53. — Item G. VAN DEN BROECK, *De Capitulo generali in O. Praem.*, in *An. Praem.*, XV, 1939, p. 121.

⁶⁶) Cfr. *Les premiers Statuts*, p. 8 s., n. 2.

⁶⁷) *L'abbaye de Tongerlo depuis sa fondation jusqu'en 1263*, p. 107, n. 2.

⁶⁸) *Le Bx. Hugues de Fosses*, in *La Terre Wallonne*, XIII (1925-1926), p. 66 s.

Rectius ergo, cum VAN WAEFELGHEM, distinguimus inter primum conventum sex abbatum, tamquam fontem historicum certum, incertum tamen quid ab ipso et quo titulo operatum fuisse — et inter Capitulum generale, uti tale. Iuxta VAN WAEFELGHEM « l'impression qui se dégage de ce récit (*Vita A* et *B*) est qu'il s'agit ici d'une simple réunion ou *entrevue* entre six abbés... entrevue dans laquelle on se concerta, afin de savoir ce qu'il fallait faire pour conserver à l'ordre sa ferveur, sa discipline et par suite sa bonne renommée. Des échanges de vue eurent lieu, qui aboutirent à certaines décisions ; et vu le bien qu'apportait ce genre de réunions, on statua de commun accord de les renouveler en un lieu déterminé chaque année » ⁶⁹). Vel paulo ante : « une réunion tenue sous le bienheureux Hugues dans le but d'établir certains points de discipline ; mais en peut-on conclure, que cet événement doive être considéré comme un Chapitre général ? je ne le pense nullement » ⁷⁰). Cui sententiae libenter consentimus.

Propterea urgere non licet terminum Capituli, multo minus Capituli *generalis*, qui non respondet rei de qua agitur, et sufficit de prima adunatione loqui simpliciter quorundam abbatum, qua incipit quidem tempore series conventuum annuorum — si velles patris-abbatis cum suis filiis immediatis, ad modum consilii seu Capituli particularis intra ambitum monasteriorum vinculo filiationis immediatae iunctorum — qui tamen quando et quam ratione seu auctoritate speciem assumpserint instituti iuridici *Capituli generalis* totius Ordinis, remanet problema.

Pro solutione huius problematis, ad fontes antiquos revertamur. Valor et extensio singulorum testimoniorum sub hoc respectu declaranda sunt.

De primo conventu sex abbatum solus redactor *Vitae B* expresse et concrete loquitur. Notitia vero in *Vita A* relata, reducenda videtur ad *simplex statutum de annuis conventibus* in futuro celebrandis. Et quidem, stricte loquendo, sex abbatum ⁷¹).

Hermannus Laudunensis e contra, institutum iam in sua origine ut statutum generale, et quidem a Fundatore constitutum, describit, et suam relationem talibus auget informationibus particularibus, quae testimoniis, origine praecedentibus, vix confirmari possunt. Attamen,

⁶⁹) *Les premiers Statuts*, p. 9, n. 2.

⁷⁰) *Ib.*, p. 8, n. 2.

⁷¹) Vide textum superius p. 46 citatum.

saltem pro tempore ad quod referri debent, triginta annis nempe post foundationem elapsis, hae notitiae valorem retinent, quae simpliciter sperni nequeunt. luvat ergo eas paulo enucleatas ordinatim exponere.

Quoad *diem celebrationis* annuorum conventuum, ab *Hermanno* primo refertur eam fuisse diem festi S. Dionysii, 9 scil. octobris⁷²⁾. C. L. HUGO determinationem dierum Capitulorum ipsi primo conventui adscribit, nescimus tamen quo fundamento⁷³⁾. *SW*, quae tum natura, tum antiquitate, testimonium primi ordinis constituunt legislationis Praemonstratensis, silent de die.

Item *de loco* Capitulorum, solus *Hermannus* inter primos scire autumat, ipsam Praemonstratensem ecclesiam pro tali loco determinatam fuisse.

Obligatio assistendi Capitulis, iuxta HERMANNUM, ex voluntate ipsius Fundatoris, omnes indistincte affecerit abbates monasteriorum quae iam in vita vel post obitum Fundatoris exorta fuerint⁷⁴⁾.

Nolumus nec gloriam Fundatoris S. Norberti minuere nec bonam fidem Hermannovi abiudicare, cum pro valore suarum notitiarum Hugonem, primum abbatem et cooperatorem Norberti, invocet tamquam fontem. Controversiam tamen circa auctorem instituti Capitulorum non auderemus definitam censere sola auctoritate testimonii Hermanni, praesertim, cum nullibi in documentis coaevis confirmationem talis attributionis potuerimus invenire. Verum quidem est Bullam « Sacer ordo vester » Innocentii II, 3 maii 1134⁷⁵⁾, institutionem Capitulorum generalium Norberto, tamquam auctori, adscripsisse. Attamen, circa genuinitatem bullae, diplomaticam tot exurgunt dubia, ut ipsa non solum adminiculum pro credibilitate affirmationis Hermanni non videatur praebere, verum etiam hac ipsa attributione dubia circa originem ipsius bullae augere.

Rebus sic stantibus, videtur nobis auctorem instituti aegre indicari posse.

Finis quidem *conventus annui* iuxta formulam *Hermanni*, qui praetendit se voluntatem Fundatoris interpretari, magis limitatus est quam in *Vita A* legitur, cum ad correctionem tantummodo restringa-

⁷²⁾ Vide textum superius p. 47 allatum.

⁷³⁾ Cfr. *La Vie de s. Norbert*, p. 275.

⁷⁴⁾ Vide textum, p. 47.

⁷⁵⁾ Ed. LEPAIGE, *Bibliotheca*, p. 622, locus unicus traditionis bullae, quem hucusque invenire potuimus.

tur defectuum, sive apud omnes sive in aliquo tantum abbatum deprehensorum. Addatur tamen textum historicum intelligendum non semper esse quasi ageretur de textu stricte iuridico.

E locutione enim omnino generica *Vitae A* et *B*, nullum nisi genericum terminum haurire possumus « conventus », qui apte simul designat tum primam congregationem sex abbatum, tum posteriores ab ipsis pro futuro statutas. Si finem consideramus huiusmodi conventuum, correctionem nempe culparum abbatum, sicut *Vita B* et *Hermannus* indicant, merito vocantur *Capitulum*, scilicet *culparum abbatum*. Quando vero consuetudo conveniendi ita radicata esse probatur, ut revera omnes vel fere omnes abbates ad Praemonstratum congregari viderentur, hoc Capitulum omnium apte ab Hermano *generale* dicitur. Iste terminus tamen, etiamsi relinquatur adiectivum « culparum », circa medietatem saec. XII, quando opus *Hermani* scriptum esse probatur, recte adhibitus esse testatur, postquam videlicet institutum, vigore praecedentium interventuum papalium, non solum de facto sed etiam de iure figuram organi supremi regiminis assumpsisse demonstratum fuerit.

Notari insuper potest, terminologiam, in fontibus etiam natura magis iuridicis, esse sat fluentem, et, fere integro saeculo XII, quando scilicet iam nihil instituto defuit quo recte Capitulum appellaretur generale, terminus magis modestus et genericus « colloquii », pro designandis huiusmodi conventibus annuis inveniri ⁷⁶⁾. Attamen, habita ratione textuum natura magis historicorum, uti textus *Hermani* et epistolae *Ulrici* abbatis, sicut non iustificatur recta conclusio de natura *instituti adhuc in fieri*, solo usu terminologico « capituli

⁷⁶⁾ *Charta Bartholomaei*, Laudunen., Epp., a. 1138, de *annuo colloquio coabatum ordinis* loquitur. Cfr. C. L. HUGO, *Annales*, I, Prob., col. XI). Ulricus, praepositus Steinfeldensis, similiter in suis Epistolis, imo duplici sensu, termino utitur; pro *colloquio generali* apud Praemonstratum annuatim celebrando (in Ep. 42, 48, 61, 66), et pro *colloquio* totidem annuo *filiorum* Steinfeldiae habendo (in Ep. 9, 10-12 et 71, ed. ROTH, *Eine Briefsammlung des Propstes Ulrich von Steinfeld aus dem XII Jahrhundert*, in *Zeitschrift des Aachener Geschichtsvereins*, XVIII, 1896, p. 265 ss. — SW promiscue adhibet « colloquia » et « capitulum ». Fine saec. XII adhuc invenitur ut terminus consuetus (cfr. *Litt. Circulares Hugonis II, abbatis Praem.* (1174-1192), ed. C. L. HUGO, *Annales*, II, Prob. col. CXXVIII). Nec textus liturgici aliter. Ita *Missale Praem.*, ms. Cpl., 47/1 abbatae Plagensis, ex aa. 1255-1264, tres Orationes « Ad colloquium », occasione annui Capituli recitandas servat. (Cfr. ed. M. VAN WAEFELGHEM, in *Analectes de l'Ordre de Prémontré*, VIII, 1912, p. 179.

generalis » fundata, ita nec contestatio characteris iuridici eiusdem ex sola interpretatione « colloquii » desumpta.

Observationem quod attinet *Vitae B*, quod conventus annuus abbatum Praemonstratensis « ordinis » ad « similitudinem et exemplum Cisterciensium » institutus fuerit, testimonium *Vitae B*, influxum Constitutionis Cisterciensium, ab omnibus admissum, etiam quoad nostrum institutum historice penitus incontestabilem reddit. Quamvis ratio determinata huius influxus Cisterciensium aegerrime, iuxta statum hodiernum inquisitionum, statui posse nobis videatur.

Ita, ut videtur, recta interpretatio dicti *Vitae B* proponi potest. Biographus, auctor *Vitae B*, chronista cum sit, uti chronistae moris est, factum historicum simpliciter refert, prout evenit et secundum aspectum externum, quin iuristae munere fungi intenderit. Itaque, observatio *Vitae B*, iuxta quam sex abbates « ad similitudinem et exemplum Cisterciensium annuatim se reversuros simul ad ordinis sui sinistra corrigenda firmaverunt », ad summum, analogiam dicit externam inter eventus naturae similes. Sicut enim omnes abbates a Cistercio egressi, apud matrem (Cistercium) annuatim convenire et defectus corrigere consuevere, ita etiam sex abbates, omnes quidem eundem « ordinem » profitentes, se annuatim simul convenire salutare iudicarunt statueruntque. Hoc modo testimonium *Vitae B* retinet valorem historicum facti relati, quin sensus urgeretur iuridicus ipsius. Ex similitudine mere externa autem, aliis deficientibus testimoniis coaevis magis decisivis, de characterе iuridico conventuum abbatum, imo de natura iuridica vel minus primi conventus sex abbatum aliquid legitime deducere non videtur iustificatum. Nihilominus notitiam in *Vita B* relatam, uti testimonium admittimus certum, quod recte indicat ubinam praecedentia instituti historica quaeri poterint.

Quidquid ergo sit de nexu causalitatis inter primum conventum sex abbatum, probabiliter anno circiter 1128 apud Praemonstratum celebratum eiusque decisiones, et inter institutionem primae unionis monasteriorum eiusque regimen sub suprema auctoritate Capituli generalis positum, sicuti in *SW* exaratum videmus, historice constat, initia huiusmodi organizationis Praemonstratensium non esse factum quoddam isolatum neque eius praecedentia iuridica alibi quam apud Cistercienses quaerenda esse. Receptio et assimilatio elementorum unionis « Ordinis », atque capituli generalis stricte dicti pluribus constabit gressibus, et, apud Praemonstratenses non absque ulla os-

cillatione fiet. Quae de coetero non semper clare indicare poterit, ob defectum fontium historicorum antiquorum.

Ex instituta illa analysi primorum testimoniorum de initiis instituti Capituli generalis apud Praemonstratenses, haec concludenda posse videntur :

1. Quoad conditionem praerequisitam, ut scilicet aliquis conventus haberi potuisset, qui speciem prae se ferat Capituli cuiusdam Abbatum, historice planum est sex ad minus foundationes Norbertinas, in gradu sat evoluto, cum propriis abbatibus, iam circa a. 1128 extitisse.

2. Admissa distinctione ex allatis fontibus respectivis petita constat :

a. circa a. 1128 sex abbates : Praemonstratensem, Floreffensem, Vivariensem, Antverpiensem, Laudunensem et Bonae Spei, impellente necessitate quadam, crisi obveniendi in novellis foundationibus circa ordinem et usum vitae regularis exortae, de facto, probabiliter apud Praemonstratum, convenisse, ibique, prout e duabus redactionibus *Vitae S. Norberti* sufficienter probatur, praesidente Hugone, Praemonstratensi abbate, communi deliberatione decisiones prorsus vitales, ordinem et disciplinam regularem respicientes, sumpsisse.

Reliquas circumstantias particulares primi conventus abbatum quod attinet, ex iisdem fontibus, notitiis aliunde repetitis confirmantibus, constat de numero, qualitate personali (nomine, charactere abbatiali, loco provenientiae) participantium.

Quoad *operatum* a primo conventu, ex fontibus rationabiliter deduci potest, primum illum conventum, crasim disciplinarem de facto resolvuisse et fundamenta rationis vivendi in posterum, saltem a monasteriis suae ditionis uniformiter sequenda, iecisse. In specie, iuxta concors testimonium utriusque *Vitae* Fundatoris, iidem sex abbates *statutum quoddam commune* pro futuro condiderunt de conventu annuatim ab ipsis in loco determinato celebrando.

Statutum istud, tamquam initium instituti Capituli, particularis ad minus sex abbatum, immediatae vinculo filiationis Praemonstrato coniunctorum, historice pro certo haberi potest.

b. Vigore huiusmodi instituti, communi voluntate sex abbatum fundati, omnino admittenda esse videtur pristina *introductio instituti Capitulorum*, ad minus *particularium*, abbatiarum scilicet vinculo filiationis directae coniunctorum, quod vigilantiam super observantia

regulari institutionalem pro fine habebat, correctione abusuum disciplinarium et instauratione innovationum ordinem et disciplinam tangentium, in communi exercendam.

Quamvis huiusmodi Capitulum quotannis congregari in posterum consuetum, deficiente titulo iuridico cuiusdam interventus potestatis superioris, initio vix habere potuerit characterem instituti generalis, omnes omnino abbatias iam existentes vel in futuro orituras obligantis (ideoque minus convenit nomen vindicare *Capituli generalis* iam pro primo conventu abbatum), merito tamen considerari poterit uti initium et fundamentum quod in posterum, via consuetudinaria, accedente approbatione quoque suprema pontificia, notam et characterem assumere potuit instituti generalis, et quod, de facto, triginta annis post foundationem Praemonstrati, figuram veri et proprie dicti instituti Capituli generalis Ordinis consecutum fuisse probatur.

c. Huiusmodi *instituti generalis* figuram, HERMANNUS LAUDUNENSIS iam a. circiter 1150 ita describit, ut eius notae essentiales nullum amplius relinquant dubium, tunc temporis iam revera agi de vero et proprie dicto Capitulo generali, quod omnes obligat omnino Superiores, abbates sive praepositos monasteriorum Ordinis, semel in anno, die 9 octobris, ad communem matrem, Praemonstratum, conveniendi et inibi, in communi Capitulo abbatum, abusus, si qui irrepserint, corrigendi, et novas ordinationes, forsitan necessarias, univsum Ordinem iam constitutum obligantes, instaurandi.

3. Notitiae magis determinatae, historice fundatae, conventuum illorum annuorum sive Capitulorum, dari nequeunt, fontibus directis deficientibus. Relicta autem certitudine historica informationum, ad praesumptiones et coniecturas plus minusve probabiles cogimur.

a. Ita, quoad statuta primaria in SW asservata, etiamsi ratione temporis codificationis nulla exurgeret difficultas admittendi illa, ea ex navitate primi abbatum conventus prodiisse, nullibi probatur ea revera codicem officialem Ordinis, auctoritate stricte dicta approbatum et pro universo Ordine promulgatum, constituisse. Nihilominus ea, tamquam collectionem privatam, princeps testimonium praebere, praeter alia, primorum conatuum regimen commune constituendi monasteriorum Norbertinae foundationis, et, qua talia, fontem constituere cognoscendi figuram primigeniam huiusmodi organizationis, procul dubio admitti potest.

b. Dissensus fontium circa auctorem elementorum primitivae organizationis et, inter ea, ipsius instituti Capitulorum generalium,

quaestionem, an ea ex Norberti ordinatione vel Hugonis navitate, vel potius ex communi voluntate Superiorum monasteriorum, initium sumpserint, relinquit apertam, nec nos, unicae affirmationi faventes Hermannii Laudunensis, eam auderemus dirimere, ius auctoris ipsi Fundatori adiudicando.

c. Deficiente titulo proprio primi conventus, ius statuendi sibi vindicandi pro universo Ordine adhuc in fieri, non videtur certus nexus causalis inter statutum eiusdem, quotannis Capitulum abbatum celebrandi obligatorium, et ipsum Capitulum generale; quo tamen organo supremo regiminis, Ordo iam constitutus, circa a. 1160, de facto functus est. Statutum tamen praedictum a. 1128 pro certo admittentes, id tamquam *terminum a quo* evolutionis instituti Capituli generalis, ratione saltem temporis originis, ut omnino indiscussum tenemus.

H. MARTON, O. Praem.